Morbio 11 (55)
Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.

Milano.

1259. 8. Augusti

In nomine domini. Anno dominice nativitatis millesimo ducentesimo quinquagesimo nono. die veneris octavo mensis au-
gusti. indictione secunda. Investiverunt et per omnia in suum locum posuerunt Johannes de Orsenigo et Guidotus et Ugo filii eius. civitatis Mediolani de porta Ticinensi
fratrem Ambrosium Ferrarium superstitem substantie et laboris ecclesie sancti Eustorgii Mediolani nomine ipsius substantie. et per ipsum fratrem Ambrosium ipsam
substantiam. Nominative de libris et pro libris quatuordecim et solidis decem octo tertiolorum sortis. quos Rugerius de Vagiano dare debebat et tenebat suprascriptis Johanni et Guidoto
et Ugoni filiis eius ex causa mutui. sicut constat per cartam unam traditam et scriptam per Mapheum Ansoldum notarium anno MCCLVIII die mercurii XVI die
aprilis indictione prima. Et de quibus omnibus denariis exstiterat fideiussor et principalis debitor pro ipso Rugerio Petrus filius eius sicut in predicta carta con-
tinetur. Et de quibus denariis indempnati erant suprascripti Rugerius et Petrus et ultra eos denariis de libris quinque et solidis duobus tertiolorum ex mutuo sine carta. sicut continetur in indempnitate
una precepta et scripta per Cabrium de Manio notarium anno MCCLVIII die mercurii tertio ante kalendas februarii. indictione secunda. Item de libris et pro libris viginti
tribus et solidis duobus tertiolorum sortis quos Petrus de Vagiano dare debebat et tenebatur suprascripto Johanni et Guidoto et Ugoni ex precio vacarum et lignorum. sicut apparet
per cartam unam traditam et scriptam per suprascriptum Mapheum notarium anno MCCLVIII die mercurii XVI die aprilis. indictione prima. Et de quibus omnibus denariis exsti-
terat fideiussor Rugerius de Vagiano pater predicti Petri ut in illa carta continetur. Et de quibus denariis indempnati erant suprascripti Petrus et Rugerius et ultra illos denariis de libris
quatuor et solidis duodecim tertiolorum ex mutuo sine carta sicut continetur in indempnitate una precepta et scripta per suprascriptum Cabrium notarium suprascripto die quo facta fuit suprascripta con-
pretio. Ita ut amodo in antea predictus superstes nomine ipsius substantie seu ipsa substantia sit et succedat in ius et locum suprascriptorum Johannis et Guidoti et Ugonis
pro suprascriptis omnibus denariis sortis. Et cesserunt et dederunt atque mandaverunt dicti Johannes et Guidotus et Ugo predicto superstiti nomine ipsius substantie omnia iura omnesque
actiones exceptiones replicationes retentiones usus et vices et defensiones utiles et directas reales et personales atque ypothecarias sibi et cuique eorum competentes
et competentia modis omnibus contra suprascriptos Rugerium et Petrum et contra quelibet eorum et eorum bona et contra possessores et detentatores rerum et bonorum que sunt et fuerunt
aut erunt predictorum Rugerii et Petri et cuique eorum. Ita ut possit prefatus superstes nomine illius substantie sive ipsa substantia possit iure possit agere et
experiri et excipere et replicare et omni iure uti contra suprascriptos debitores et contra eorum bona et contra possessores et detentatores et possessores rerum et bonorum suorum. quemadmodum
predicti Johannes et Guidotus et Ugo possent et poterant in omnibus et per omnia. Quod ius et locum dederunt suprascripti Johannes et Guidotus et Ugo prefato superstiti ad
partem illius substantie de suprascriptis omnibus denariis sortis. Et illud ius et locum recepit predictus superstes nomine dicte substantie tamen ad cautelam et ad defensio-
nem illius sedimis cum eius hedifitiis cum curte jacente prope medium ecclesie sancte Marie cruciferorum quod predictus superstes nomine illius substantie emit
a suprascriptis Rugerio et Petro. seu quod ipsi fratres vendiderunt prefato superstiti ad partem illius substantie. et ad agendum et ad petendum denariis sortis petendos et exigendos.
Suprascriptam cessionem eidem superstiti sive illi substantie evincere in toto vel in parte contra quam evictio fuit subsecuta. Et post hanc iuris cessionem confessi fuerunt
et contenti dicti Johannes et Guidotus et Ugo recepisse et habuisse a suprascripto superstite nomine dicte substantie libras quadraginta septem et solidos quatuordecim monete Me-
diolani tertiolorum numeratis. Renuntiando omni exceptioni non numerate pecunie et non facte cessionis. Actum in domo predicti superstitis. presente
Petro Fiano de Ricardi civitatis Mediolani de porta Ticinensi pro notario. Interfuerunt ibi testes Frugerius filius quondam Guidoti Ricardi. Et Jacobus filius
quondam Ade de Vagiano civitatis Mediolani de porta Ticinensi. et Pietrebonus filius quondam Petrobelli de Lacesa de loco Corsico :—

(S.) Ego Riboldus filius quondam Beltrami Morene de Marte civitatis Mediolani de porta Ticinensi de contrata sancti Laurentii maioris notarius et missus regis tradidi et ad scribendum dedi et subscripsi. —

(S.) Ego Julianus notarius filius quondam Martini Pariote de Vaud civitatis Mediolani porta Romana iussu suprascripti Riboldi notarii scripsi.

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.
Morbio 11 (55)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1810750563-12/fragment/page=1

1289. 8. Augusti

De Ferrari

1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1810750563-12/fragment/page=2